



**Disputationvm De Censuris In Commvni,
Excommunicatione, Svspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

5 De suspensionibus in Episcopos & Capitula.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

dictis, quæ conferunt ius ad prouentus ratione officii, sed etiam in aliis prælationibus spiritualibus, seu Ecclesiasticis, quæ nullum habent beneficium adiunctum, vt sunt prælationes in religionibus: nã etiam quia hæc eligitur, vel illa suscipit per simoniam, manet non solum suspensus à tali officio, sed omnino carens illo: nam omnis huiusmodi electio, & confirmatio irrita esse declaratur in dictis decretis. Quod adeo verum est, vt etiam si per ignorantiam suscipiens beneficium, & bona fide ex parte eius, collatio simoniace facta sit, retineri beneficiũ non possit, iuxta sacros Canones, vt dicitur in cap. Sicut tuus, de Simonia, & declaratur, ac limitatur, nisi receptor beneficii non solum non consenserit, sed etiam prius expresse contradixerit. De quo latius alibi: nam hoc ad censuram suspensionis non spectat.

De suspensione vero ab aliis beneficiis, licet Syluester, Angelus, & alii dicant, hunc simoniacum in suspensione vnus beneficii manere suspensum ab omnibus aliis beneficiis, quæ legitime possidebat: nullo tamen iure id probant sufficienter: & ideo oppositum credo, verius seclusa excommunicatione. Afferunt cap. De simoniace, de Simonia: vbi nequẽ est sermo de simonia commissa in susceptione beneficii, sed in susceptione ordinis, neque etiam fit mentio de suspensione aliqua iure lata. Item citatur cap. Præsentium, 1. quæst. 5. vbi etiam est sermo de simonia in ordinatione commissa, & de pena eius: & ideo non fertur suspensio ab omnibus ordinibus, sed tantum ab ordine simoniace suscepto: vnde nec proportionale argumentum inde sumi potest. Cum ergo nulla censura sit admittenda ipso iure, nisi in eo sit satis expressa, sit, vt hæc sine alia probatione non sit à nobis admittenda. Et inde à fortiori sequitur, ex vi huius delicti non manere aliquem inhabilem ad alia beneficia postea recipienda, nisi ratione excommunicationis: & ideo si hæc sit oblata per absolutionem, absque alia dispensatione poterit quis nouum beneficium obtinere.

Alii casus breuiter explicantur.

Quinta suspensio sumitur ex cap. 1. de Schismaticis, vbi qui iuramentum præbent sponte de tenendo schismate, à sacris ordinibus, & dignitatibus suspenduntur. Et quia de hoc textu dixi plura supra tractando de excommunicatione, hic solum expendo, ad incurrendam hanc suspensionem non satis esse tenere schisma, nisi de hoc iuramentum præstetur, & non quomodoque, sed sponte, id est, absque timore, vel ignorantia, vt ex prædicto textu constat.

Sextus casus adiungi posset ex Syluestro, Angelo, Tabiena, & aliis, verbo *Suspensio*, de Clerico alium ad duellum prouocante, vel duellum ab alio oblatum acceptum, quem dicunt ipso iure manere suspensum, ex cap. 1. de Clericis pugnante in duello. Verum tamen vt recte aduertit Nauarrus cap. 17. num. 15. in eo textu non dicitur, hunc esse suspensum ipso iure, sed de rigore iuris merito esse deponendum: solum ergo designatur pena per ludicem imponenda. Imo additur, Episcopum posse cum tali pena misericorditer dispensare, dummodo ex ipso duello homicidium, vel membrorum diminutio non fuerit subsecuta: nam tunc iam oritur irregularitas, in qua solus Papa potest dispensare. Vnde intelligitur, talem depositionem non esse imponendam propter solam prouocationem, vel acceptationem duelli, nisi vsque ad realem pugnam progressum sit: hoc enim videtur in textu supponi, cum dicitur: *Duellum susceperis, siue victor, siue victus fueris*. Imo etiam post pugnam illa depositio, de qua ibi est sermo, non videtur propriè, & rigorosè, sed pro suspensione accipi: quia in rigorosa depositione nunquam potest Episcopus dispensare, cum Pa-

pa ipse raro dispenset. Denique hæc procedunt iuxta illud ius antiquum: & de propria suspensione, vt ab excommunicatione distinguitur. Nam iuxta ius nouum Concilii Tridentini sess. 25. capit. 19. de Reformat. huiusmodi Clericus pugnans in duello excommunicatus manet ipso iure, eaque ratione ab officio, & beneficio suspensus.

Tandem addi hic potest casus alius ex Concilio Tridentino. sess. 24. cap. 8. de Reformat. matrim. vbi cum pena excommunicationis, & alii contra raptorem ferantur in hæc verba: *Raptor, ac omnes illi auxilium, consilium, & fauorem præbentes sint ipso iure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces*: postea subiungit: *Et si Clerici fuerint, de proprio gradu decedant*. Quæ verba & depositionem, & suspensionem significare possunt. Et dubium est, an particula illa, *ipso iure*, construenda sit cum sola dictione, seu pena immediata, scilicet excommunicationis, an cum omnibus aliis penis. Sed quidquid hoc sit quoad infamiam, & incapacitatem, de quibus ibi, quoad suspensionem existimo esse ipso iure: quia verba illa, *decidant à proprio gradu*, sumpta videntur ex cap. Eos, 36. quæst. 2. & ibi ferendam penam significat, vt constat ex cap. De puella, eadem causa, & quæstione.

SECTIO V.

Quas suspensiones incurrant ipso iure Episcopi, & Ecclesiarum Capitula.



Voniam generalibus suspensionibus Episcopi non comprehenduntur, ideo breuiter annotare oportet, suspensiones illas, quæ vel specialiter in illos solos, vel in eos simul cum aliis, facta eorum speciali mentione lata sunt. Prima causa suspensionis Episcopalis est illicita ordinum collatio: sub quo genere plures comprehenduntur species. Vna est de simoniaca collatione, de qua in sectione præcedente diximus: propter connexionem materia: nam per se huc spectabat. Quamuis interdum extendatur ad Prælatos inferiores, minores ordines simoniace conferentes.

Ergo illo casu omisso, suspenditur Episcopus quoties ordinatus propter malam promotionem suspenditur. Sic suspenduntur ipso iure Episcopi qui ordinant ante tempora, seu ante legitimam ætatem, & qui ordinant non suos sine licentia prædicti, vel etiam qui ordinant indignum, seu irregularem, aut illegitimum, aut eum qui publicam penitentiam egit, vel denique qui ordinant illiteratum vt addunt Syluester & alii. Quæ omnia ex iure antiquo colligi solent. Primum ex cap. vltim. seu Nullus, de Temp. ordinat. in 6. vbi per vnum annum suspenditur Episcopus à collatione clericalis tonsuræ duntaxat, si infanti conferre præsumat clericalem tonsuram: & additur limitatio *Nisi forte religionem intraret*. Quæ exceptio videtur inuoluere repugnantiam, quia infantes in præsentia materia intelligi debent, qui septimum saltem ætatis annum non attingerunt, quos in ea ætate repugnat religionem intrare. Dicendum vero est olim solitum fuisse huiusmodi infantes etiam ante illam ætatem religioni à parentibus offerri, seu dicari; & hoc in eo textu significari maxime si ab illa ætate recipiebant religionis habitum, quamuis non statim, nec vsque ad conuenientem ætatem professionem emitterent. Tunc enim in fauorem religionis voluit Pontifex, vt in quacunque ætate habitum religionis susciperent, posset eis saltem prima tonsura conferri. Excepto ergo illo casu suspenditur Episcopus infanti conferens primam tonsuram, idemque ibidem statuitur de coniugatis cum duplici limitatione nisi religionem intrauerint,

Con. Trid.

49. Aliqua ius de Raptori- bus reuocatur.

Prima suspensio.

2. susp. ob illicitam ordinum collationem.

Cap. vlt. de Temp. ord. in 6.

Concil. Tr.

3.
An suspensio
dicitur c. de
extendatur
ad collatio-
nem aliorum
ordinum cum
similib. de
fensib.

rint, vel statuunt ad sacros ordines promoueri, eo modo, quo secundum canones fieri potest. Idem statuitur ibi de illiteratis absque vlla exceptione. Itaque non permittit ius illud etiam primam tonsuram conferri homini prorsus illiterato: quanquam cum proportionem hoc intelligendum sit iuxta illius ordinis, seu initij ordinum exigentiam, seruata constitutione Concilij Tridentini sess. 23. cap. 4. de reformat. Denique eadem suspensio extenditur ibidem ad Episcopum sic ordinantem hominem diocesis alienae absque sui superioris licentia. Quae omnia, & species, ac duratio suspensionis satis clara sunt ibi.

Solum dubitari potest, an suspensio illa extendenda sit cum proportionem ad collationem cuiuscunque ordinis factam personae habenti proportionalem defectum. Nam Syluester, & alii Summistae, ex hoc textu colligunt, manere suspensionem Episcopum conferentem quemlibet ordinem habenti aliquod ex dictis quatuor impedimentis, scilicet defectum aetatis, literaturae, vel quia est non subditus, vel coniugatus. Et idem sentit D. Antoninus 3. p. tit. 28. cap. 4. & indicat Soto in 4. d. 25. quaestio. 1. artic. 2. circa finem: & videtur verisimile ex aequali vel etiam maiori ratione: plus enim peccatur seruata proportionem conferendo superiorem ordinem indigno vel incapaci eius, quam inferiore. Vnde cum in illo textu solum imponatur, in poenam suspensionis collationis primae tonsurae, iuxta praedictam sententiam erit hoc proportionaliter intelligendum, ut pro vno quoque ordine sic male collato intelligatur ferri suspensio ab annua collatione illius ordinis, ut in eo in quo quis peccauerit, puniatur, quae est ratio illius textus. Sed obicitur potest, quia videtur haec nimia extensio & amplificatio legis poenalis, in qua ut saepe dixi argumentum a simili non est. Et praesertim est nimialicentia, augere poenam taxatam in lege, propterea quod delictum sit maius, cum proportionem ad delictum, cum hoc totum pendeat ex voluntate legislatoris, de qua non constat ex sola illa proportionem a nobis considerata. Eo vel maxime quod in collatione primae tonsurae, laici transferuntur ad ordinem clericalem: vnde est veluti ianua ad clerum (ut sic dicam) & ideo in hoc ingressu seu assumptione laicorum ad clericatum voluit Pontifex specialem cautionem adhibere. Quae ratio non inuenitur in quacunque alia ordinatione, per quam ille, qui iam clericus est, ad superiorem ordinem in illo statu ascendit: non ergo licet poenam illius legis ad alios ordines extendere.

4.
Ex alio iu-
mentis colla-
tionis suspen-
sio ob colla-
tionem mi-
norum ali-
eno.
Ca. Eos qui
de Tempore
ord. in a.

Nihilominus tamen addendum est, in aliis iuribus esse latam poenam suspensionis vnius anni contra eos Episcopos, qui male promouent clericos ad quoscunque ordines. Nam in cap. Eos qui, de Tempore ordinis in sexto suspenduntur Episcopi, qui ordinant clericos alienae Parochiae nisi de suorum superiorum licentia. Fertur autem cum hac limitatione, si scilicet, seu affectata ignorantia vel quocunque alio figmento quaesito praesumpserint ordinare. Itaque si id faciant bona fide, non incurrunt, imo etiam si ignorantia vel negligentia culpabili decipi se sinant, nisi ignorantia affectata sit, ut in textu dicitur: qualis erit, si probabiliter dubitans licentiam esse subreptitiam, nullam vult facere diligentiam. Quod vero additur, vel alio figmento quaesito, explicatio, vel amplificatio esse videtur praecedentis particulae, scilicet. Duobus enim modis potest Episcopus ordinare clericum quem scit esse alterius diocesis; vno modo sine honesto titulo etiam apparente ductus affectu, & vtens (ut sic dicam) absoluta potestate: & tunc clarum est, maxime incurrere hanc censuram. Alio modo potest id facere sub aliquo titulo, v.g. quia vrget aliqua necessitas, nec potest tam cito proprius Episcopus adiri: & praesumitur sine

alio maiori fundamento, quod ratum habebit. In quo casu licet ignorantia facti non intercedat quantum ad hoc quod talis persona est alienae iurisdictionis: tamen interuenit quodammodo ignorantia iuris, quia eo non obstante, existimatur in eo casu licitum esse illum ordinare: vel etiam potest illa dici ignorantia facti, quantum ad hoc quod creditur esse ibi licentia praesumpta vel tacita. Hoc ergo genus ignorantiae vel tituli colorati non sufficit ad excusandum. Quod intelligendum est, quando mala fides intercedit, vel ignorantia affectata, quae illi aequiualeat. Hoc enim significat fictio, seu figmentum in re morali. Est autem illa suspensio solum per annum; tamen est a collatione omnium ordinum: hoc enim significat, ut supra vidimus, illa locutio absoluta, a collatione ordinum.

Incurriturque haec poena propter collationem cuiuscunque ordinis ultra primam tonsuram: nam propter hanc non incurritur, ut constat, tum ex alio textu supra tractato in ca. Nullus, tum etiam quia hic suspenditur, qui ordinauit clericum: collatio autem primae tonsurae, neque est ordinatio clerici, sed laici: collatio autem cuiuscunque alterius ordinis etiam minoris supponit clericum, saltem per primam tonsuram: & est ordinatio simpliciter, & ideo sufficit ad hanc poenam incurrendam. Nec mirum videri debet, quod propter vnum ordinem sic male collatum inferatur suspensio a collatione omnium ordinum, eo quod videatur talis poena excedere culpam, quia licet secundum quandam extensionem excedat: tamen secundum meritum & proportionem non excedit. Et quae hoc videretur in iure, ut patet ex cap. Vel non est compos. de Tempore ordinis, cum similibus. Atque ita exponit hanc poenam Glossa in dict. cap. Eos qui. Non desunt tamen, qui putent illam poenam & indefinitam locutionem determinandam esse ad materiam, in qua peccatur, id est ad ordines sic male collatos, arg. cap. Si compromissarius, de elect. Quod sentit Dominicus ibi. quem alii sequuntur. Mihi tamen prior expositio planior videtur, & conformior his, quae in superioribus de huiusmodi suspensionibus generatim diximus. Ad hanc etiam poenam confirmandam citari solet cap. Si quis, d. 53. vbi punitur Episcopus, qui monachum ordinat sine licentia sui praelati: tamen ibi non imponitur poena suspensionis, sed cuiusdam excommunicationis his verbis: Episcopus, qui hoc fecerit, a ceterorum communionis se iunctus, iuxta pl. b. communionis contentus sit. Quae poena nunc non est vtitata.

At vero propter alios tres defectus, scilicet literaturae, aetatis & coniugii, non inuenio suspensionem ipso iure latam in eum qui ordines sic confert: loquendo de iure communi. Nam in cap. secundum de Tempore ordinis suspendendus dicitur Episcopus, qui extra tempora ab Ecclesia statuta, ordines confert: non vero fertur suspensio ipso iure. Et similiter in cap. Vel non est compos. eod. tit. decernitur suspensio ferenda, non lata, in eum, qui ordinat aliquem ante legitimam aetatem. Atque eadem lata fuerat in Concilio Arelat. 3. cap. 1. iuncto 3. vbi eadem poena extenditur ad eum, qui ordinat irregularem bigamum viduam maritum, aut publicum penitentem. In Concilio Aurelianensi 3. cap. 6. solum sex mensium suspensio pro huiusmodi delicto imponi praecipiebatur. Et in cap. 7. quod refertur d. 74. cap. 1. in Episcopum ordinantem inuitum, & reluctantem annua suspensio fertur his verbis, Annuali poenitentia subditus, Missas facere non praesumat. Ex quibus suspensionem ipso iure latam colligunt Syluest. verb. Ord. 3. quaest. 10. Maiol. lib. 4. de irregularitat. cap. 10. Qui etiam citat cap. Honoratus, & c. Vbi, d. 74. Sed in priori reprehenditur vitium, nihil tamen de poena agitur in alio vero potius Siritius supponit contrarium, & comminatur suspensionem, si iterum fiat delictum. Denique pius II. qui male promotos suspen-

pendit de ordinantibus nihil dixit. Et præsertim de ordinantibus illiteratos, vel contugatos nihil inuenio specialiter sancitum. At vero Conciliū Trid. sess. 14. cap. secund. specialiter suspendit per annum ab exercitio Pontificalium Episcopos titulares, qui ad aliquem ordinem, vel primam tonsuram promouent quempiam, absque eius proprii prælati expresso consensu, aut literis dimissoris prætextu cursu suis familiaritatis, privilegii, &c. & in sess. 23. cap. 8. de Reformat. extendit sermonem ad omnes Episcopos, eosque suspendit à collatione ordinum per annum, si non subditi ordine, nisi eius probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendetur. Generalius autem & rigorosius Sixtus V. in huiusmodi ordinantes suspensionem tulit, sed reuocata est per Clementem VIII. vt supra notauimus.

In Episcopos prauæ viuentis pastoralis munere,

Secundo principaliter feruntur plures suspensiones in iure in Episcopos propter varios defectus, vel in electionibus, vel in vñ iurisdictionis: vel in administratione rerum Ecclesiæ, vel in aliis rebus ad pastorale munus pertinentibus. Primus ergo casus in hoc ordine sumi solet ab Angelo, & aliis Summis ex cap. vlt. d. 18. vbi præcipitur Episcopo, vt dum provinciale Concilium cogitur, infra sex menses post celebratum Concilium conuocet totam Diocesim, vt ei promulgentur, quæ in Concilio statuta fuerint. Sed ibi non imponitur pena suspensionis, sed cuiusdam excommunicationis duorum mensium, tamen Glossa, quoniam illa temporis determinatio excommunicationi repugnat, per excommunicationem, suspensionem intelligit. Et similis textus habetur in cap. vñico. 10. quæst. 3. Quæ iura sunt Concilii Toletani 16. cap. 7. in collectione Loaysæ, vbi hæc pena vocatur excommunicatio duorum mensium. Sed quæcunque illa fuerit, iam non est in vñ etiam in Hispania, vbi Concilium illud coactum est: imo forte nunquam fuit in Ecclesiâ vniuersaliter recepta.

Secunda suspensio sumitur ex cap. Prouida. de Electione in sexto. vbi per annum suspenduntur Episcopi, qui non seruant constitutionem quandam Concilii Lugdunensis, quæ habetur in ca. Quamuis, eodem tit. per quam prohibetur Episcopis, vel Archiepiscopis ne in causis spectantibus ad electionem Episcoporum: postquam ad Sedem Apostolicam appellatum est, se intromittant: etiam si partes ab appellatione voluntarie recedant, nisi prius facta diligentia eis confiterit nullam fraudem vel prauitatem in tali negotio intercessisse. Et quævis in dict. cap. Prouida, non fiat mentio de Episcopis, sed de iudicibus inferioribus, ad quos via ordinaria talium negotiorum cognitio spectat: tamen ex multis circumstantiis constat illos iudices esse non posse nisi Episcopos, vel illis superiores, scilicet Archiepiscopos, Patriarchas, &c. Quos omnes hoc loco nomine Episcoporum comprehendimus. Assumptum patet, primo quia electio Episcoporum res est grauissima: vnde causæ pertinentes ad illam inter maiores annumerantur, vt dicitur in dict. cap. Quamuis, ergo ordinaria de illis cognitio non potest nisi ad Episcopos pertinere, qui dicuntur inferiores iudices comparatione Summi Pontificis: post illum vero sunt superiores. Secundo, quia ibidem dicitur, hoc iudices cognoscendo de his causis ad confirmandos & consecrandos electos procedere: at hoc Episcoporum munus est. Denique suspensio, quæ ibi imponitur, solum est ab Episcoporum confirmatione, ac consecratione: quæ suspensio in solis Episcopis locum habet. Vnde est etiam considerandum, hanc suspensionem non incurrere per violationem illius constitutionis Concilii Lugdunensis, donec ad confirmationem talis electionis, & consecrationem sic

A electi procedatur. Vnde, licet Episcopus post appellationem interpositam in tali causa cognoscat præter formam præscriptam in dicto cap. Quamuis, non incurrer hanc suspensionem, donec confirmat electionem, & consecret electum, quidquid Angelus, & Syluester dicant: quia prædict. cap. Prouida, solum suspendit confirmantes, & consecrantes eodem: non ergo cognoscentes de causa, si ad prædictos actus non perueniant, sed solum acta in tali causa erunt irrita, & inania, vt in eodem textu dicitur. Nonnullam tamen dubitationem habet, an si Episcopus confirmet, non tamen consecret, vel e conuerso, talem suspensionem incurrat: nam ibi vterque actus simul & coniunctim videtur postulari. Respondeo probabilem quidem esse hanc partem, nihilominus probabilius videri, quemlibet ex illis actibus sufficere ad suspensionem sibi proportionatam incurrendam, id est ab vñ seu exercitio actus male exerciti, iuxta regulam in eodem textu positam, vt in eo, in quo peccauerint puniantur.

Tertia suspensio sumitur ex cap. Hoc consilium, de reb. Eccles. non alien. in sexto. vbi suspenduntur prælati Ecclesiarum, qui bona immobilia Ecclesiarum sibi commissarum laicis subiiciunt sine consensu Capituli, & speciali licentia Sedis Apostolicæ, nisi modo, & in casibus à iure permisis. Nam in primis tales contractus irritantur: deinde ipsi prælati ab officio, & ab administratione ipso facto suspenduntur, & inferiores clerici à perceptione beneficiorum, quæ in tali Ecclesiâ obtinent per triennium suspenduntur, si scientes aliquid contra illam constitutionem attentari, id Superiorem non denunciauerint. Quæ suspensio annumerari poterat eis, quæ tractata sunt sect. 3. huc tamen reservata est, quia est veluti annexa huic casui Episcopali, & non indiget alia expositione, nisi quod illi tunc incurrerent talem suspensionem, quando & sufficienter cognouerint delictum, & illud probare potuerint, & sine magno incommodo, seu morali periculo alicuius grauis nocuenti, illud potuerint denunciare iuxta superius tractata in simili in disp. 20. Suspensio autem hæc, quæ prælati imponitur non est triennalis: sed absolute fertur, ita vt duret donec per Superiorem tollatur. Est autem talis suspensio simpliciter ab officio: à beneficio autem non simpliciter, sed solum ab administratione rerum temporalium talis Ecclesiæ sic grauata: ita enim moderandam cenfeo illam penam iuxta materiam subiectam, & regulam illius textus, & aliorum similium. Dico autem illam non esse suspensionem à beneficio, quia ibi non exprimitur clare, nec implicite contineri, iuxta principia superius posita.

Dubitari vero hic potest, an soli Episcopi, & superiores illis contrahant hanc censuram vel etiam inferiores prælati participantes iurisdictionem Episcopalem, & habentes Ecclesiæ Capitulares, scilicet Collegiatas vel regulares sibi commissas. Videntur enim etiam hic comprehendi, quia in eos conueniunt omnia verba illius textus, qui fortasse non sine mysterio vsus est potius nomine Prælatorum, quam Episcoporum, vt hos etiam comprehenderet. Item, quia lex illa non minus erat necessaria his prælati quam Episcopis. In contrarium vero obici potest, quia si suspensio illa communis est aliis præter Episcopos: ergo non est propria Episcoporum: ergo cum in ea non fiat specialis mentio Episcoporum, non comprehendit illos, iuxta cap. Quia periculosum, de sent. excommunicat. in sexto. Responderetur priorem partem sine dubio esse veram, vt probant priora rationes. Ad obiectionem vero in contrarium responderetur negando sequelam, nam potius Episcopi primario ac per se illa lege comprehenduntur: inferiores vero prælati quatenus munus Episcopale participant in administratione suarum Ecclesiarum. Vnde, licet illa lex alios, qui Episcopi non sunt,

9. Tertia suspensio in Episcopos alienantes. Et c. hoc consilium, de reb. Ecc. non alien. m. 6.

10. An contrahant hanc censuram Prælati inferiores quæst. Episcopale iurisd.

com-

qui omnes, tam laici, quam ecclesiastici excommu-
nicantur. communitates vero interdicuntur. Vlti-
mo obferuare licet, hic haberi exemplum suspen-
sionis latae simpliciter, & sine vlla determinatione
officij vel beneficij. Vnde ne incerta maneat suspen-
sio, vel ne nimis ample, aut rigorose explicetur,
posset quis iuxta subiectam materiam, illam limitare,
vt scilicet intelligatur de suspensione à iurisdictione.
Verius tamen credo intelligendam esse de sus-
pensione ab officio & beneficio. Tum quia hoc so-
nat verba in omni proprietate sumptum etiam,
quia non solum male vtendo iurisdictione, sed et-
iam locando proprias domos possunt illam incur-
rere: tum denique quia non est illa poena nimis rigo-
rosa in peccato adeo publico, & communi bono co-
trario, maiorque est poena excommunicationis, quae
pro alijs personis fertur.

Secunda suspensio sumitur ex Clementina. §. Ve-
rum. de haereticis, vbi suspenduntur per triennium
ab officio, & Episcopi, & superiores, qui odit, gratia,
amoris, lucri, aut commodi temporalis obtentu, contra
iustitiam, & conscientiam suam omiserunt contra quem-
quam procedere, vbi fuerit procedendum super huiusmodi
prauitate (scilicet haereticis) aut obtentu eodem prauita-
tem ipsam, vel impedimentum officij sui, scilicet Inquisi-
tionis, alicui imponendo. Quod quidem praeceptum
commune est alijs Inquisitoribus, qui non sunt Epi-
scopi: illis vero non imponitur censura suspensio-
nis, sed excommunicationis, vt patet in textu. Hic
vero statim occurrit declarandum, quomodo
hæc censura feratur propter malitiam mere inter-
nam, qualis est odium, &c. sed hoc sufficienter tra-
ctatum est in superioribus; vt diximus, non ferri
propter malitiam internam, sed propter iniustitiam
ex tali prauo animo procedentem, de qua relatus
in materia de Legibus. Hic ergo solum occurrit ad-
uertendum, duas esse partes, & quasi materias il-
lius peccati, scilicet malitiose contra aliquem pro-
cedere causa haereticis, vel in alia, quae Inquisito-
res in executione officij Inquisitionis impediatur.
Ad officium autem Inquisitoris, primo & per
se pertinet cognoscere de his, qui delinquant in
peccato haereticis: tamen etiam extenditur ad alia
crimina, quae non sunt haereticis, inferunt tamen
quandam suspensionem propter aliquam affinitatem,
vel participationem. Quoad primam ergo partem
videtur limitanda hæc censura ad propriam prauita-
tem haereticis, ita vt si Episcopus, vel Inquisitor de-
linquant procedendo iniuste ex odio in alijs delictis
quae non sunt haereticis, non incurrunt has censuras,
quia textus loquitur de prauitate haereticis; & illa cri-
mina non sunt haereticis: & penalis lex ad verborum
proprietaem restringenda est. At vero posterior
pars absolute intelligenda est de toto officio Inqui-
sitoris circa quodlibet crimen versetur: quia verba
textus non sunt limitata, sed simpliciter loquuntur
de officio Inquisitoris. In vtroque autem casu ne-
cesse est, vt ex odio, vel amore procedant, sicut in
textu dicitur. Vnde si ex negligentia, aut ex meru
delinquant, non incurrunt, vt recte ibi colligitur
E. Gloss. quam Antonin. tertia parte, cap. 24. §. 7. Syl-
uest. Nauarr. & alij sequuntur, & Caietan. capit. 3.
Qui etiam ex textu aduertit, necessarium esse, vt
contra iustitiam & conscientiam delinquant, ita vt
sic peccatum ex certa scientia, nam si esset ex igno-
rantia, non sufficeret, & e contrario, si esset ex cōsci-
entia erronea, & in re non esset iniustitia, multo
minus sufficeret.

Tertia suspensio sumi videtur ex Clementina 2.
de Poenis. vbi Prælati Ecclesiae, qui procurant vt cle-
rici capiantur à dominis temporalibus vt beneficia
renuncient, vel vt citati ad Apostolicam Sedem ab
homine, vel à iure, ire ad ipsam non possint per tri-
ennium suspenduntur à perceptione fructuum sua-
rum Ecclesiarum. Dixi autem sumi videtur: quia du-
bitare quis potest, an hæc suspensio ad Episcopos per-
tineat, cum eorum expressa mentio non fiat: valde
enim generalis est, Prælatorum appellatio: & ideo ex
vi illius non videntur Episcopi comprehendi iuxta
cap. Quia periculosum. de sentent. excommunicationis
in sexto. Nihilominus verisimilius videtur, hæc le-
ge etiam Episcopus comprehendi: imo illos ibi præ-
cipue, & quasi per antonomasiam significari nomi-
ne Prælatorum. Quod Glossa, & Abbas tanquam cer-
tum supponere videntur, nullam de hoc faciente
questionem. Nam & ipsa vox Prælatorum, simplici-
ter dicta præcipue solet Episcopos significare: & ma-
teria illius constitutionis maxime potest ad Episco-
pos pertinere, & pro eis esse necessaria. Et præterea
pro inferioribus clericis alia grauior poena ibidem
ponitur, scilicet privatio omnium beneficiorum:
ergo suspensionis poena imponitur pro superioribus
Prælati, atque adeo pro Episcopis. Dixi autem
videri hic fieri hanc suspensionem, quia dubitari
potest, an ipso iure feratur. Verba enim textus sunt,
Sit suspensus, quæ aliqui putant non indicare censu-
ram latam, sed ferendam, quia sunt de futuro. Mihi
autem videntur habere vim ferendi ipso iure, quia
non sunt ita de futuro, vt possint actum hominis,
qualia sunt fiat suspensus aut suspendatur: sed sunt de
inesse, sed solum respiciunt futurum, vt indicat sus-
pensionem pro illo tempore duraturam: magisque
sunt imperatiui modi efficaciter imponentis censu-
ram, quam de futuro.

Merito autem dubitari potest, an Prælati inferio-
res Episcopis, qui illud crimen committunt, incur-
runt hanc poenam suspensionis, vel aliam priuatio-
nis beneficiorum: hi enim comparatione Episcopo-
rum sunt inferiores: ibi autem de inferioribus sine
limitatione dicitur, vt sunt priuati beneficiis suis.
Præterea ibi non dicitur, inferiores clerici, sed simpli-
ter inferiores: ergo intelligitur respectiue ad præce-
dentiam: ergo comprehendit inferiores etiam præla-
tos. Nihilominus existimo hanc suspensionem
non esse omnino propriam Episcoporum, sed ex-
tendi ad inferiores Prælatos tam regulares, quam
seculares, & præsertim ad eos, qui participant Epi-
scopalem iurisdictionem. Nam nomen Prælato-
rum simpliciter dictum hos omnes comprehendit:
& nomine inferiorum, quod postea subiungitur, re-
spectiue quidem intelligendi sunt, non Prælati infe-
riores, vt aliqui exponere videntur: alias illa poena
non extenderetur ad alios clericos, qui non sunt
Prælati, sed intelliguntur inferiores in dignitate, id
est omnes qui Prælati non sunt, vel, quod in idem
redit inferiores, id est, subditi ipsorum Prælato-
rum.

Est autem circa causam huius suspensionis aduer-
tendum, cum in hoc crimine duæ personæ concur-
rere supponantur, scilicet capiens clericum, seu car-
ceri tradens iniuste per potestatem laicam, & id pro-
curans, in illo textu poenam non ferri contra tem-
porales dominos capientes huiusmodi, sed contra
procurantes non omnes, sed eos, qui sunt ecclesiasti-
cæ personæ. Nam etiam laici possunt huiusmodi ca-
pturam procurare: & tamen nulla speciali poena af-
ficiuntur, vt ex textu constat, & ex ipsa poena: nam
illi non sunt suspensionis capaces. Et ratio fortasse
fuit, quia delictum illud habet specialem deformati-
tatem in personis ecclesiasticis: & ideo speciali poena
afficiuntur, nam pro alijs vita est sufficiens excommu-
nicationis poena, quam incurrunt ex vi canonis
Si quis suadente. Hinc vero colligitur, si Episcopus
procuraret clericum incarcerari ab alio Episcopo, v-
tente titulo iurisdictionis spiritualis ob easdem ini-
iustas causas, scilicet, vt renunciaret beneficium, vel
impediatur, ne ad Sedem Apostolicam citatus acce-
dat, non incurrere hanc censuram, quia non solum
fertur in eum, qui hoc procurat, per potestatem secula-
rem dominorum temporalium, vt ex textu aperte con-
stat.

Quia per potestatem laicam, & id procurans, in illo textu poenam non ferri contra temporales dominos capientes huiusmodi, sed contra procurantes non omnes, sed eos, qui sunt ecclesiasticæ personæ. Nam etiam laici possunt huiusmodi capturam procurare: & tamen nulla speciali poena afficiuntur, vt ex textu constat, & ex ipsa poena: nam illi non sunt suspensionis capaces. Et ratio fortasse fuit, quia delictum illud habet specialem deformati-
tatem in personis ecclesiasticis: & ideo speciali poena afficiuntur, nam pro alijs vita est sufficiens excommunicationis poena, quam incurrunt ex vi canonis Si quis suadente. Hinc vero colligitur, si Episcopus procuraret clericum incarcerari ab alio Episcopo, vtente titulo iurisdictionis spiritualis ob easdem ini-
iustas causas, scilicet, vt renunciaret beneficium, vel impediatur, ne ad Sedem Apostolicam citatus acce-
dat, non incurrere hanc censuram, quia non solum fertur in eum, qui hoc procurat, per potestatem secularem dominorum temporalium, vt ex textu aperte con-
stat.

18
Quia per potestatem laicam, & id procurans, in illo textu poenam non ferri contra temporales dominos capientes huiusmodi, sed contra procurantes non omnes, sed eos, qui sunt ecclesiasticæ personæ.

19
Quia per potestatem laicam, & id procurans, in illo textu poenam non ferri contra temporales dominos capientes huiusmodi, sed contra procurantes non omnes, sed eos, qui sunt ecclesiasticæ personæ.

Fr. Suarez tom. 5.

stat. Dico autem, *utente in iurisdictione spirituali*: quia si Episcopus esset simul dominus temporalis, & sub ea ratione induceretur ab altero Episcopo, ut dominio temporali utendo, clericum incarceraret ob aliquem ex prædictis finibus, tunc sine dubio incurreret hanc censuram, ut sentit ibi Glossa verb. *Dominium*, & Panormitanus in principio. Et ratio est, quia textus absolute loquitur de dominis temporalibus: quod autem hoc dominium sit coniunctum cum dignitate Episcopali in eadem persona, non impedit quo minus ille sit vere dominus temporalis.

²⁰ Sed quid dicendum est de ipso met Episcopo, qui simul est dominus temporalis, qui non procurat, ut alius temporalis dominus clericum capiat, sed ipse met illum capit, ut dominus temporalis, nunquid incurreret hanc censuram? Videtur enim non incurrere, tum quia censura lata est contra procurantes; non contra capiētes: tum etiam quia lata est contra personas ecclesiasticas: ille autem tunc non se gerit ut ecclesiastica persona, sed ut dominus temporalis. Nihilominus tamen non videtur separabilis transgressio huius legis ab illo delicto: nam dominus temporalis, qui clericum capit aut detinet prædicto modo, necessario procurat ut capiat, præcipiendo, aut mittendo ministros suos: omnia enim hæc sub verbo procurandi comprehenduntur. Neque est necesse, ut ipsa procuratio semper fiat apud ipsum dominum, seu Superiorem. Quod autem id faciat ut utens potestate & dominio temporali, nihil refert, si ipse met persona ecclesiastica sit, quia non est necesse, ut id procuret ut Episcopus, sed solum ut ille, qui procurat, sit Episcopus, ut ex textu constat, & per se est satis notum. Quin potius licet fingeremus huiusmodi dominum temporalem, qui simul est Prælat, per se ipsum, & non per alium, sic capere vel incarcerare clericum, nihilominus incurreret hanc censuram, quia per se, & apud se, ut ita dicam, satis procurat huiusmodi violentiam, seu capturam.

²¹ Tandem inquiri potest, quando compleatur hoc delictum, ita ut incurratur censura: an scilicet sufficiat captura ipsa ut oporteat sequi effectum per illam intentum. Nam quod procuratio sola non sufficiat, nisi saltem ad incarcerationem præueniatur manifestum est, tum ex regula generali, quod censura requirit delictum completum, tum ex textu ipso, quia non imponit hanc penam nisi supposita iniuria facta clericis contra cap. *Si quis suadente*. Quæ iniuria in illo casu non est alia nisi incarceratio, & iniusta detentio. Hinc vero fieri videtur, statim post talem incarcerationem incurrere suspensionem, sicut incurritur excommunicatio, nam textus dicit, *Preter sententiam canonis, quam incurruni, sint suspensi, &c.* Item, quia in illo textu fertur hæc pena contra procurantes talem capturam: ergo non est necessarium alium expectare effectum. Nihilominus dicendum censeo, non incurrere hanc censuram, nisi perueniatur ad effectum per censuram intentum, id est, nisi clericus sic captus beneficio resignet propter talem vim, aut nisi eam ob causam non compareat ante Apostolicam Sedem tempore sibi præscripto. Ita tenet Bernard. Diaz, de Lugo in Pract. criminali cap. 104. Et præter generalem regulam quod delictum debet esse consummatum, colligitur ex textu ubi in principio sic dicitur, *Ecclesiasticos capere, caprosque donec iuxta resignent beneficia, aut ne citati ad Apostolicam Sedem venire valeant ausu sacrilego detinere non verentur*. Et infra subditur: procurantes hæc fieri manere suspensos: ergo non latis est captura, nisi sit cum detentione usque ad resignationem beneficii, vel usque ad impotentiam comparandi debito tempore.

²² Quarta suspensio sumitur ex Extrau. 2. de Elect. *Alia suspensio* Ioannis XXII. ubi Episcopus, qui non seruat Ex-

trauagantem illam quoad perceptionem fructuum primi vel secundi anni sui Episcopatus eo modo quo ibi statuitur, à Pontificalibus, & ingressu Ecclesiæ suspenditur, eadem Extrauagans habetur sub titulo, *Ne Sede vacante*, inter communes, & circa eam solum occurrit notandum sub vno verbo in latiori significatione sumpto duplicem censuram ferri: nam illa suspensio ab ingressu Ecclesiæ, ut sæpe dixi, interdictum potius est, quam suspensio, argum. Extrauagantis, *Ambrosio*, de Rebus Ecclesiæ non alienan. Illud præterea est in illo textu aduertendum verba illa, *Donec prædicta cum integritate restituerint, &c.* coniungenda esse non solum cum proxime præcedentibus verbis, sed etiam cum superioribus, quibus dicta suspensio fertur, nam omnia illa verba suspensio sunt, usque ad perfectum sensum illius clausulæ, quæ valet tantum est. Atque ita illa suspensio non fertur ut perpetua, sed ut non auferenda, nisi sub illa conditione, donec restitutio fiat.

Quinta sumi potest ex Extrau. 1. de Elect. inter communes, ubi Episcopi, Abbates, vel Prælati religionum, qui ab Apostolica Sede confirmationem recipiunt, aut ab ea promouentur: si absque literis authenticis eiusdem Sedis administrationem suarum Ecclesiarum recipiant, ab administratione fructuum earundem Ecclesiarum suspenduntur. Quibus enim ibi non utatur Pontifex verbo suspensionis, tamen re ipsa suspensionem imponit per effectus eius, dum irritat omnia gesta in huiusmodi regimine per tales Prælatos: eosque proventibus priuat. Atque ibidem subditur alia suspensio contra capitula, vel conuentus talium Ecclesiarum, quibus huiusmodi Episcopos, vel Superiores sine talibus literis recipiunt: suspenduntur autem à beneficiis, donec ab eadem Sede Apostolica gratiam recipiant. Vbi obscurum manet, an singule persone de capitulo à suis beneficiis suspendantur, vel à communibus beneficiis, ut sic dicam, totum capitulum. Sed de hac re supra agimus generale doctrinam tradendo.

Sexta sumi potest ex concilio Tridentino sess. 25. cap. 14. de Reformat. Vbi Episcopus si (quod abbit) concubinariis sit, & à synodo Prouinciali admonitus, se non emendauerit, ipso facto suspenditur. Vbi non requiritur trina admonitio, sed vna tantum: tamen nisi ea præmittatur, quod raro fiet, quia raro talia Concilia celebrantur, non incurreret. Quando vero censendus sit Episcopus non emendari post admonitionem, ut statim hanc suspensionem incurrat, in similibus superius tactum est: nam cum teneatur statim & sine dilatione emendationem exhibere, nisi statim etiam, & absque morali dilatione tollat occasionem delicti & scandalii, si adit ipso facto illam suspensionem incurreret. Quæ suspensio absolute fertur, & sine limitatione temporis, officij, aut beneficii, & ideo ex se omnia completitur.

Atque ex his fere explicatæ sunt suspensiones, quæ aduersus capitula Ecclesiarum iure latis sunt, nam in præcedente quinta vnam attigimus, & aliam supra in prima suspensione. Alia item sumi potest ex ca. *Quia sæpe*, de Electione in 6. quam supra declarauimus sect. 3. casu 3.